



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,  
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo  
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1709**

Articulus III. De pœnis statutis in falsantes literas Apostolicas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)



casum reservatum, quousque literæ eo obsignentur. Quia hæc falsificatio non debet intelligi de sigillo *materiali*, sed de *formali*, scilicet literarum sigillatione. Porro Falsarios literarum Apostolicarum, item falsò fabricantes literas Apostolicas, & falsò signantes supplicationes, in sexta censura bullæ Cœnæ, Suarez de Cenf. Disput. 21. S. 1. à n. 44. ita intelligit, ut comprehendant duplicem actionem; alteram quæ est falsificare literas Apostolicas, id est, à sincera veritate radendo, vel addendo, immutare: & falsas literas vero sigillo munire: alteram, quæ est falsarum literarum fabricatio, & gravior, quam præcedens: & ideo gravius punitur extensâ poenâ ad fautores & defensores.

## ARTICULUS. III.

De poenis statutis in falsantes literas Apostolicas.

<sup>1096</sup> Jure Canonico literas Apostolicas falsantes, sunt ipso jure excommunicati, cum suis fautoribus, & defensoribus, c. ad Falsariorum 7. h. t. ubi hæc poena extenditur ad scienter utentes ejusmodi falsis literis, eo tamen discrimine, ut si utentes sint Clerici, non sint excommunicati, sed priventur officiis, & beneficiis; Si autem Clerici ipsi dictas literas falsificent, ipso jure officiis privati sunt c. ad Falsariorum, ubi etiam dicitur ejusmodi falsantes esse degradandos & tradendos Curia seculari; puniendos poenis legalibus.

<sup>1097</sup> Not. autem r. poenas hujus Canonis afficere solum eos, qui falsant literas *Papa*, non autem aliorum; quia clarè loquitur tantum de literis *Apostolicis*; & licet textus loquatur de *exercitibus* vitium falsi (ex quo aliqui volunt, non sufficere *unicum actum*) verius tamen esse oppositum; quia verbum *exercere*, etiam in dispositione poenali, verificatur in unico actu, ut patet ex *§. item lex Julia*, de adulteriis, Instit. de publicis judiciis. Farinacius cit. q. 151. à n. 31.

<sup>1098</sup> Not. 2. crimen falsi à Clerico commissi in literis Papalibus esse unum ex tribus casibus, in quibus de jure communi degradatur, & traditur Curia seculari, non expectatâ ejus incorrigibilitate. Sic Farinacius n. 4. Sed adverte ex Pirhing hic n. 25. §. *veram* poenam infligi Clericis solum illis, qui *per se* falsitatem exercent, Tom. V.

ut patet ex textu. Porro prædicta poenæ non extenduntur ad impetrantes literas subreptitias, vel obreptitias. Barbosa in c. 7. h. t. n. 5. Et in dubio quis falsitatem in litteris deprehensam commiserit? non præsumi commissam ab impetrante tales literas, si cognitâ falsitate iis uti destitit. c. *accedens* 8. h. t. ibi: *cum præsumi non debeat, quòd pro talibus literis, quæ facillè possunt obtineri, fraudem quis commiserit falsitatis, nec literis usus est, postquam eas falsas esse, cognovit*; juncta Gloss. in casu.

## ARTICULUS IV.

De crimine falsi in aliis instrumentis.

<sup>1099</sup> Non est dubium, Notarium, qui conficit falsum instrumentum, falsarium esse, & ut talem puniri. 2. Eum, qui scienter producit tale instrumentum, vel eo utitur. L. *Majorem*. 4. C. ad Leg. Cornel. de falsis; 3. Si quid addat, quod verum non est; Sic Jul. Clar. §. *Falsum*. n. 19. vel si addat solennitates in instrumento, ut aliquid conficiat in re illicita, extra casus jure permisso. Similiter, ut falsarius puniendus est, qui testamentum, codicillum, vel aliud instrumentum, aut literas publicas, vel privatas, & ad aliud spectantes immutat, lacerat, vel comburit, delevit, dolosè celavit, vel suppressit L. 1. & 2. ff. ad Leg. Cornel. de falsis L. *licet* C. eodem. Item ille, qui se, vel illum, quem in sua potestate habet, in alieno testamento heredem, vel legatarium scribit L. 1. & 15. ff. ad Leg. Cornel. eodem.

Præter hæc notandum, falsarium esse, & ut talem puniri eum, qui alienum chirographum imitatus fuit. L. 23. ff. eod. qui rationes, tabulas, aut instrumentum aliquod rasurâ falsavit, aut signum amovit, L. 1. ff. eodem; qui signum adulterinum, seu falsum fecit, vel sculpsit, ac eodem literas sigillavit, L. 30. ff. eodem. Specialiter autem constitutum est, ut incidat in crimen falsi, qui aperit testamentum clausum, L. 2. ff. h. t. qui verò literas alienas, clausas, dolosè, cum alterius injuria ac damno aperit ac legit, crimen quidem falsi committit, ut ait gloss. in c. *cum olim* de offic. Judic. deleg. V. *Signatus* tamen punitur; cum ex eo non pervertatur veritas. Sylvester. V. *Falsarius*. q. 1.

Crimen falsi etiam committitur falsando

Gg 2

1101